

769.

1283 d. 28 Jul.

St. Jean d'Acre.

* Bisk. HENRICS i Linköping intyg att Kyrkoherden FINVID från Nässjöhult till Biskopstolen i Linköping afstår sin rättighet till Hildeshult.

A. 3. o. 1: 14.

Omnibus presens scriptum inspecturis. Henricus dei gracia lincopen-sis Episcopus. salutem in domino. Constare volumus euidenter quod domi-nus finwidus Rector ecclesie de nessiohult in nostra presencia constitutus. quicquid iuris habuit in hildehult & omnibus bonis mobilibus & immobili-bus ad eandem curiam pertinentibus liberaliter & mere contulit ob anime sue remedium sedi lincopensis ecclesie. ab eo qui eidem sedi prefuerit per-petuo possidendum. Nepotibus tamen suis videlicet sýmoni & wimundo quamdiu sunt chorales lincopensis ecclesie ad uestitum & calciamenta assi-gnauit bona predicta. Vt igitur ista donacio perpetuam optineat firmitatem. sigillis subscriptarum personarum. uidelicet domini Hegmundi prepositi Wis-býensis. domini Olaui militis dicti gren. & domini beronis de husbý qui presentes fuerunt. vna cum nostro. presentes litteras uoluit communiri. Da-tum & actum apud Accon. Anno domini M°.CC°LXXX°III°. quinto kal. Augosti.

På frånsidan: de hildehult circa næssiohult.

Remsor och knappa öfverlefvor äro qvar efter 2:ne undersatte sigill.

770.

1283 d. 1 Aug.

Lund.

Ärke-Djäkn. HÅKANS i Lund Testamente af åtskilliga gårdar, lösören och penningar till in-rättnings och namngifne personer.

B. 1: 164.

Fundacio et dotacio altaris beati vincencii per dominum haquinum archidiaconum cum suo anniuersario.

JN nomine patris et filii et spiritus sancti Amen Ego haquinus lun-densis archidiaconus. sanus mente et corpore. diligenter aduertens humano generi nichil morte certius et nichil incertius hora mortis. Ideoque anime mee prouidere deliberans de bonis mihi a deo concessis testamentum me-um et vltimam voluntatem condo et ordino in hunc modum Jn primis. de consensu dilectorum fratrum meorum dominorum scilicet prepositi et de-canii et totius lundensis capituli. eligo sepulturam in ecclesia beati laurencii inferius iuxta gradus. ante altare beati vincencii martiris. Et ad honorem dei et sancte virginis matris eius ac meorum in remissionem delictorum ad altare eiusdem sancti martiris sacerdotem instituo. et bona que possideo in hem-minxdyngæ. scilicet X quadrantes terre. locum molendinj iuxta ripam ma-ris et quatuor fundos cum domibus et attinenciis suis et estimacione tri-

ginta trium marcharum visualis monete. que consistit in predictis fundis ibidem. videlicet in fundo nicolai dicti kul. X marchas. in fundo petri dicti romær X marchas. in fundo thorth. totidem marchas et in fundo petri gytheson III marchas denariorum eidem sacerdoti confero et per scotacionem trado jure perpetuo possidenda. vt redditus ex eis prouenientes percipiat et pro sue voluntatis arbitrio libere disponat. Hiis condicionibus adiectis: quod omni die dominica quando fieri potest per se vel per alium. missam de sancta trinitate dicat Secunda feria de spiritu sancto. Feria tercia. de sancto laurencio et de sancto vincencio alternatim. feria quarta pro peccatis Feria quinta de sancto nicolao et de sancta katerina alternatim. Feria sexta. pro fidelibus dei defunctis. sabbato de beata virgine Jtem ad predias bona adicio et appono. Curiam quam emi de swenone stumpe. cum omnibus domibus in ea existentibus. solo excepto pomerio. vt sacerdos ad dictum altare canonice institutus. ipsam curiam cum predictis bonis pacifice possideat et residenciam faciat in eadem Jtem quia supradicto altari prouidi de calice. missali ac ceteris ornamentiis et indumentis sacerdotalibus. et rebus diuino officio necessariis. volo vt hec omnia. in sista magis firma quam ad hoc specialiter deputauit. cautius conseruentur. Dictus eciam sacerdos in festis duplicibus et in diebus dominicis. quando potest. chorum in missa et in vespere frequentabit. Volo insuper domino decano qui pro tempore fuerit jus instituendi sacerdotem ydoneum cui altare predictum canonice conferat et ob delictum eius si forte contigerit destituendi. saluum et integrum remanere. Sacerdos vero ad idem altare institutus super bonis ipsi altari attinentibus liberam habeat ordinacionem. jta tamen quod per se de ipsis bonis immobilibus nichil vendere vel commutare seu quocumque titulo alienare audeat. nisi hoc forte capitulo vel decano viderint commodius expedire. De supradictis eciam fructibus antedicto altari appositis debet sacerdos. quolibet anno. dimidiā marcham denariorum reponere ad reparacionem vestimentorum librorum et ornatus dicti altaris. secundum discretionem ipsius decani reseruandam. Preterea ad fabricam ecclesie lundensis lego duas curias meas. in lokkæthorp. quas emi de tuchone seguthson cum domibus et estimacione earundem. de quarum censu. omni anno deducatur quantum sufficiat ad oblaciones in anniuersario patris mei karoli filii decani Jtem ipsi ecclesie lego vnum becarium de auro quem emi de echkikke sartore ciue lundensi et volo ipsum transformari in calicem cum compositione et attinenciis et ad decorem domus dei in mei memoriam conseruari Jtem mense canonicorum lego curiam meam in thorthæthorp in parrochia tyrnethorp Jtem ad tenendum anniuersarium meum in ecclesia memorata. lego et per scotacionem trado curiam meam in cathathorp cum estimacione et omnibus suis attinenciis. et aliam curiam in hammer little. hiis

condicionibus annexis quod de annuis ipsarum prouentibus deducatur primo quantum sufficit ad offerendum ipso die anniuersarii mei. deinде vica-riis qui vigiliis et misse interfuerint et scolaribus pauperibus dimidia mar-cha denariorum detur Canonicis ad pitanciam marcha denariorum et decano. sub cuius ordinacione dicta bona esse volo. pro labore suo. marcha denariorum si-militer deponetur residuum vero inter cononicos tam residentes quam non residentes. qui vigiliis et misse interfuerint. diuidatur Jtem ad altare beate virginis in ecclesia memorata. lego curiam meam in býrkæryth. cum estima-cione. silua. et omnibus pertinenciis suis Jtem quia venerabilis pater domi-nus johannes lundensis archiepiscopus tenetur mihi viginti duas marcas argenti puri. sicut in suis patentibus litteris continetur. medietatem huius pecunie lego episcopatui. et de medietate partis residue. confero terre san-cte octo marchas puri. et domino nicolao bassabæk concanonico meo et con-socio tres marchas puri Jtem predicto episcopatui. ratione bonorum eius que diu habueram inter manus lego omnia et singula que possideo in wir-lingæ Jtem ad augmentum reddituum de howesthorp qui sunt ad vsus pauperum scolarium deputati. confero bona in treøghe que emi de olauo dicto wale pro centum XL marcis denariorum bona insuper in særesleph que emi pro XL marchis vsualis monete. de domino stigoto quondam con-canonico meo. terram eciām quam emi ibidem pro XIIIII marchis denario-rum Equicium quoque meum quod habeo in dicto howesthorp. predictis adicio. vt proinde plus mercedis et premii. merear apud deum Jtem qua-drantem terre quam habeo in wighethorp. cum pomerio. vbi residet conra-dus lego ad mensam presbiteri in hørtyftæ sub hac forma. vt omni anno teneat anniuersarium matris mee scilicet in vigiliis. missa et offerenda. Jtem terram quam habeo in berhingæ confero mense presbiteri in saxel-torþ Jtem septem festis in choro lundensi per dominum jacobum insti-tutis. appono terram in billinge cum estimacione et domibus ibidem quam habui de asmundo per commutacionem terre in raby little. Jtem branthoni diacono clericō meo. curiam meam in lochothorp. cum medio manso terre. estimacione et domibus et ceteris pertinenciis suis. et pratis in winterhøhe, quam videlicet curiam emi de vffone gurethsun in qua residet kanutus lego iure perpetuo possidendam. Jtem andree diacono librum decretalem et curiam meam in vlfstorp. cum estimacione et ceteris eidem curie adiacen-tibus Jtem Curiam meam in baræ in qua residet eskillus. cum estimacione et terra adiacente. lego nicolao dicto bek Jtem domino thord thaat. meum løem cum tentorio et eciām summario. valente ad minus X marchas denariorum Jtem magno dicto æst. cognato meo. equicium meum quod habeo in sax-thorp Fratribus predictoribus Lundis quinque marchas denariorum fratribus minoribus ibidem quinque marcas Claustro sanctimonialium lundis II mar-

chas denariorum tribus consanguineis meis monialibus ibidem videlicet Margarete touæ et lucie sex marchas denariorum Monasterio omnium sanctorum lundis duas marchas den. Hospitali infirmorum lundis duas marchas den. Hospitali sancti spiritus ibidem curiam quam habeo in parrochia sancti stephani et lectum meum in quo iacere consueui cum suis pertinenciis Singulis parochialibus ecclesiis lundis duas oras den. presbiteris earundem tantum Ministerorum cuilibet oram den. Item Nicolao scaning nepoti meo. pratum quod dicitur hestæng quod emi de ernkæ ciue lundensi et vnum hæmeth melius quod habeo Item petro kyr curiam vnam in ertyfte quam emi de akone wipæ Item domino laurenio sacerdoti. duas marchas denariorum et collodium cum pellibus martirini. Item domino petro ad altare beate virginis. quatuor marcas den. et collodium blauum cum serico forratum. siue polidrum de equicio meo quatuor marchas valentem Singulis famulis meis mecum equitare consuetis polidrum tres marchas den. ad minus valentem. Item famulis meis in curia mea lundis duas marcas denariorum inter se diuidendas Gerardo godefridi III:or marchas vel polidrum equiualem Domino johanni parrochiali sacerdoti meo. polidrum de equicio. III marchas denariorum valentem Thord æsesun polidrum vnum Item asæ matertere mee duas marchas denariorum et vnam vaccam Mærde procuratrici mee. vaccam vnam in curia mea lundis meliorem Viduis et orphanis et aliis pauperibus in ertyfte duas oras annone inter se distribuendas Item nicolao knutsun fratreli meo. curiam meam in øthelef cum estimacione et terris ad ipsam spectantibus Item sorori sue curiam vnam in grytbý meliorem in qua residet petrus quam volo sub ordinacione domini tord thaat permanere donec eidem puelle sorori sue. de viro legitimo sit prouisum Item jaco clero meo. breuiarium meum et librum vnum. leges patrie continentem Item ad emendum librum missalem de quo superius memoraui. prouidi XII marchas denariorum nouorum et legalium, conferendas. Exsequatores huius testamenti constituo dominos Nicolaum bassæbæch et petrum trugoti. dilectos concanonicos meos. et dominum tord thaat consanguineum meum supradictum Vt autem premissa omnia et quodlibet premissorum robur obtineant firmitatis presenti scripto sigillum meum apposui. quod eciam sigillis lundensis Capituli et dictorum dñminorum mei testamenti exsequitorum pecii roborandum ad cautelam et euidenciam ampliorem Actum lundis anno domini MCCLXXXIII jn ad vincula sancti petri.